



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

Septimvs Dies.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

SEPTIMVS DIES.

De Examine particulari.

Textus Exercitiorum S. Patris
nostri sic habet:

*Examen particulare & quoti-
dianum tria tempora com-
plectens, ad dispositionem
sui ac duplicem discussionem
accommodatum.*

Primum tempus est matutinum,
quo debet homo, statim dum à
somno surgit, proponere diligentem
sui custodiam circa peccatum aut vi-
tium aliquod particulare, à quo emen-
dari cupit.

Secundum est pomeridianum, in
quo petenda est à Deo gratia vt re-
minisci

O

minisci

minisci possit ille, quoties in peccatum seu delictum istud particulare incidet, & in posterum cauere: deinde priorem faciat discussionem, exigens ab animâ suâ rationem de peccato seu vitio iam dicto; & singulas diei partes præteritas percurrrens, ab eâ horâ quâ surrexit usque ad præsentem, quoties illud commiserit, & puncta totidem signet in priore lineâ figuræ subscriptæ; quibus peractis, denuò proponat, per spatium diei reliquum diligentius se cohibere.

Tertium erit vespertinum tempus, in quo post cœnæ horam facienda est discussio secunda, percursis itidem horis singulis ab examine priore usque ad præsens lapsis, & eodem modo, rememoratis enumeratisque vicibus quibus deliquerit, parem eis punctorum numerum signabit in posteriore

riore lineâ figuræ, sequenti similis ad hoc præparatæ.

Additiones quatuor, utiles ad faciliorem & celeriorempccati seu vitij cuiusvis extirpationem.

Prima est, ut quoties id peccati seu delicti genus homo commiserit, manu pectori admotâ, doleat de lapsu: quod fieri potest etiam assistentibus aliis, nec aduertentibus.

Secunda est, ut sub noctem, numeratis comparatisque inuicem punctis linearum (quarum prior priori examini, posterior posteriori assignatur) attendat, an à priore examine usque ad secundum aliqua successerit emendatio.

Tertia est, ut conferat diei secun-

de atque præcedentis examina inuicem ; considerans , ecquid sibi emendationis interuenerit.

Quarta, ut , collatis Hebdomadarum duarum inter se examinibus, pari modo factæ vel omisæ emendationis rationem habeat.

Item notandum est ex sequentibus figuris , primam ceteris longiorem deputari diei primæ , puta Dominica ; secundam verò diei Lunæ paulò breuiorem , & ita deinceps : cùm par sit diminui in dies erratorum numerum.

Declaratio textus.

VT Exercitia nostra spiritualia prouehant deuotionem , & pios sensus gignant, succedere iis debent bona desideria , desiderijs sanæ electiones, proposita & conclusiones, hisce autem executio : cui dæmon nouas solet opponere difficultates & impedimenta,
eò

è quòd sine illâ Exercitia nostra futura sint velut arbor foliis quidem virentibus floribusque plena, sed congelata, & fiderata, atque adeò fructum non proferens opportunum aut maturum.

Exercitium proximum maximeque coniunctum executioni est examen particulare.

Primò, Quia Exercitium illud tendit ad eradicandos defectus, vel ad virtutes singulares hîc & nunc & hoc modo proferendas: nam, vt dicit Philosophus, actiones nostræ circa particularia versantur. Et quia examinis particularis materia res vna sola & singularis est, ideò omnis vis animæ, sollicitudo & attentio magis sunt collecta. Et cum defectus ille particularis sit radix multorum aliorum, euulsâ radice, omnes etiam rami concidant necesse est: sicque examinis particularis materia planè accommodata est propositis debitæ executioni mandandis.

Secundò, Forma etiam huius Exercitij consistit in solâ executione: per-

O ; inde

inde namque est atque proponere talis verbi gratiâ vitij emendationem, incedere sollicitum & vigilem, ne in illud labatur; reprimere se, mortificare se, tali verbi gratiâ occasione exigere à se rationem & numerum lapsuum, illudque totidem punctis in libro notare, vnius diei errata cum alterius conferre, vnde patet, finem huius Exercitij consistere in actuali defectuum emendatione, & particularis alicuius siue vitij siue peccati, siue rei extirpatione. Et quia nullus vmquam hoc Exercitium tam particulariter tractauit quàm S. Pater noster, ideò videtur hoc medium proprium esse hominum nostræ SOCIETATIS, eiusque spiritui accommodatissimum, qui potius in mortificatione solidarumque virtutum exercitio, quàm in aliis deuotionibus apparentibus & peregrinis, consistit.

Huius Exercitij materiam difficile assignare; ad tria tamen capita reduci potest.

Primum est, Quoduis vitium naturale

turale aut morale contra Dei præcepta, vel Regulas & ordinationes, vel contra perfectionem alicuius virtutis; vel mali habitus, praua inclinatio, aut naturalis passio, & tandem quidquid emendari potest, est materia examinis particularis: quod quando fit circa huiusmodi vitia, debet esse instar præcepti negatiui, quo quis ab omnibus illis abstineat.

Secundum est, Explere Exercitia vel actus virtutum, quos vel præcepto, vel Regulâ vel instructione aliquâ docemur: quæ omnia, quia præcepti sunt affirmatiui, examinabis, an ea facias, quando, quomodo, & quoties præcipiuntur aut præscribuntur. Et hoc perinde est, ac examinare, ne in illa impingas. Et hæc est forma examinis, quod S. Pater noster iis præscribit qui Exercitia faciunt circa negligentias & defectus in materiâ additionum.

Tertium est, Sicut scriptæ sunt additiones & instructiones pro Exercitiis spiritualibus, sic easdem singuli sibi

possunt præscribere circa alias virtutes, hoc est, quoties, quâ ratione aut modo in iis se exercere debeant; & ad hoc examen particulare adhibere, ut tot & tales actus exercent in materiali virtutis, examinando & notando defectus in eius executione commissos.

Ut autem benè & prudenter materiam examinis particularis quis eligat, subiungentur postmodum aliquot circa hoc Regulæ.

Forma huius examinis, & modus corrigendi defectus non consistit in actu suspensione; nec in subitâ aliquâ mutatione, quâ quis vno velut impetu illos extinguere, & subitò inclinationum naturalium torrentem sistere velit: hæc enim nimis violenta sunt, nec tanta aut tam solida ex iis emendatio, quanta sanitatis iactura prouenire solet; sed modus ille magis familiaris, hominiquè conueniens sit necesse est, verbi gratiâ proponendo & executioni mandando, cadendo & surgendo, pugnando

gnando & expugnando prauam aliquam consuetudinem. in quem finem seruanda sequentia.

Manè proponat sibi materiam aliquam particularem; & ne animum despondeat, si fortè pugna diuturnâ, & occasiones multæ animo eius obiiciantur: breue sibi tempus proponat, verbi gratiâ, propositum excitet à matutino tempore vsque ad meridiem tantum, & non vltra, & à meridie vsque ad vesperam, statuendo diligenter sibi cauere hodiernâ die, non coniiciendo oculos in crastinum.

Interdiu sollicitus sit ne labatur: & si aliquoties errare contigerit, tantum absit vt animum despondeat, quin potiùs occasionem sumat noua proposita excitandi (qualia enim sunt proposita, talis solet esse profectus;) ita vt toties renouanda sint proposita, quoties in defectum labi contigerit.

Meridie ergo se examinet per quinque illa Puncta quæ examini generali sunt assignata, & tum iterùm noua in

tempus vespertinum proposita excitet; & quoties errare contigerit, toties id in libello, quem ad hoc paratum habeat, eâ distinctione notet, vt vespertinum tempus cum matutino, vnum diem cum altero, septimanam cum septimanâ, & mensem cum mense conferre possit: sibiq̄ue persuadeat, considerationem eam defectuum tam particularem, & quotidianam illam sollicitudinem, multum factura ad quosuis etiam defectus facillè eradicandos.

Hinc sequitur, quòd omnes in hoc Exercitium incumbere debeant tam rudes & stupidi, quàm ingeniosi & magnæ capacitatis; tam qui contenti ordinario viuendi modo sunt, quàm qui ad perfectionem adspirant; tam incipientes & imperfecti, quàm qui multum profecerunt, omnemq̄ue, quæ in hac mortali vitâ haberi potest, perfectionem iam sunt consecuti: quia Exercitij huius forma facilis est, & fructus non exiguus, eiusq̄ue materia magnam

gnam habet latitudinem , omnesque status comprehendit.

Tempus istius examinis aliqui iudicant assignandum esse meridianum & vespertinum, vt S. Pater noster ipse declarat, quodque examini generali iungi debeat. Alij iudicant, valde inconueniens esse, vtrumque illud examen, generale & particulare, eodem tempore confundere, & asserunt, fore occasionem vt neutrum bene fiat ; ideoque particulare examen fieri debere meridie, & generale vesperi. Quod fundatur in verbis Constitutionum Par. 4. cap. 4. §. 3. vbi præcipitur, vt tempus detur *examinandis bis quotidie suis conscientis*, & in 4. Congreg. c. 6. vbi hoc sic declaratur : *Consuetudo orandi in SOCIETATE quotidie per horam integram, præter tempus duplicis examinis quotidiani, tamquam pia & salutaris, &c.* vbi verbum hoc *duplicis examinis* non solum tempora duo designat, sed & duplicem modum examinandi. Et quod S. Pater noster ait, particulare
examen

examen fieri debere meridie & vesperi, intelligatur hoc tempore Exercitiorum. qua in re quisque more suo pergat, ita tamen ut neutrum omittat examen. Certum est, quod examen particulare exactius fiet, si diuerso fiat tempore.

Regulae aliquot ad materiam examinis particularis eligendam.

Materia examinis particularis, ut dictum est, reducitur ad tria Capita: quæ sunt, corrigere defectus, Exercitia spiritualia accuratè facere, exercere se in aliquibus actibus virtutum. Et quia Exercitia spiritualia multiplicia sunt, & quæque virtus aut vitium suos actus, tamquam diuersos ramos, habet, notandum est, non omnes simul sumendos esse, quod confusio- nem pareret, sed materia talis, & ita determinata & particularis sit, ut singuli ita eam ad manum habeant, ut numerare possint vices quibus hunc
vel

vel illum defectum commiserunt.

Conferet ad praxim, ponere exempla particularia in singulis tribus materiis iam designatis, vt videbitur in catalogo sequenti.

*Materia examinis particularis
circa defectus.*

GVLA. Primò, Foris, aut extra tempora, aut sine licentiâ non comedere. Secundò, Deliciora, aut particularia sine euidenti necessitate non admittere. Tertiò, Non sinere se abripi gustu & suauitate ciborum, inter comedendum cogitationem ad aliam rem indifferentem diuertendo.

CONCUPISCENTIA. Primò, Nihil habere, nisi cuius apud omnes communis sit vsus. Secundò, Non habere nisi præcisè necessaria, quibusque carere nequeas. Tertiò, Non esse pertinacem aut importunum in petendo.

Quartò, Nihil eligere, sed acceptare quod datur, paratum esse ad vilissima.

CASTITAS.

CASTITAS. Primò, Oculos, manus & aures custodire, & abstinere ab omni quod ad malum incitare potest. Secundò, Silentium seruare, & maximè in verbis mollibus & illectiuis. Tertiò, Sibi cauere à conuersatione familiari, secretâ, periculosâ, amicitiiis particularibus, & personis suspectis. Quartò, Sollicitum esse, vt cogitationes sint puræ in conspectu Dei.

IRA. Primò, In verba iniuriosa & amara non prorumpere. Secundò, Non altè loqui aut vociferari. Tertiò, Non conqueri, aut minari. Quartò, Iræ motus comprimere, non permittendo se abripi suspicionibus, detractionibus, aut vindictâ.

LINGVA. Primò, Non loqui extra tempora, nec de rebus inutilibus, non contendere, nec altè loqui. Secundò, Non lædere famam absentis. Tertiò, Dictis aculeatis non pungere præsentis. Quartò, Non miscere sales & lepores minùs vrbanos.

SVPERBIA & VANA GLORIA. Primò,

mò , Se non laudare, nec de se suisque rebus loqui ; nec velle innotescere , si charitas & obedientia hoc non impellent. Secundò, Suos defectus non excusare. Tertiò, Nec directè nec indirectè honorifica prætere, sed sui obliuisci, seque committere alienæ dispositioni. Quartò, Sine morâ cogitationibus vanis occurrere.

M O D E S T I A. Non agitare leuiter caput ; manus seruare quietas ; non corrugare frontem aut nasum ; in cachinnos non prorumpere ; pileum reliquumque vestitum habere decenter composita.

Circa Exercitia spiritualia.

PRimum , Fecisse distributionem temporis in rebus quæ meo arbitrio relinquuntur, eamque exactè seruare. Secundum, Omnia Exercitia spiritualia, quantum fieri poterit, suis horis facere. Tertium, Seruare in illis accuratè additiones & instructiones, &c.

Quoad

Quoad MINISTERIA; Primò, Ea exactè facere, non se excusando, nec onus in alios reiiciendo, nec habendo acceptionem personarum. Secundò, Defectus suos circa suauitatem, maturitatem, rigorem, & negligentiam seu remissionem, &c. diligenter examinare, & remedio inuigilare.

Quoad RECREATIONES; Firmiter statuere, nullam velle sine rei utilis narratione recreationem transfigere, multoque minùs, si extra recreationum tempora cum domesticis aut sæcularibus agendum sit.

Circa Exercitium virtutum.

Actiones virtutum aliquæ sunt exteriores, aliæ interiores: & utrarumque producemus exempla, ut de illis examen particulare fieri possit, certas sibi vices præscribendo, quibus tales virtutum actus tam manè quàm vesperi erunt exercendi.

ACTIONES EXTERNÆ HUMILITATIS sunt: Prima, Demissè de se loqui, vel

vel aliquem suum defectum in medium proferre, vel sua eleuare. Secunda, Primum semper aliis locum deferre in honore, idque verbis & re ipsâ, iis in omnibus cedendo, & cum illis tamquam cum Superioribus agendo. Tertia, Aliqua officia humilitatis obire; verbi gratiâ, ollas lauare, seruire, sub mensâ comedere, aliorum osculari pedes, &c.

ACTVS INTERNI HUMILITATIS:
 Primus, Meos defectus agnoscere, & pro iis veniam petere. Secundus, Multa, in quibus alij me superant, notare, iisque me subiicere. Tertius, Propone mihi occasiones contemptus & iniuriarum quæ inferantur, earumque perpeffione gaudere. In quibus omnibus opus est prudentiâ, vt non fingamus nobis chimæras in aëre; sed discursum reducamus ad res moraliter possibiles, statui & officio conuenientes, ad earum lubentem tolerantiam animum disponendo, &c.

ACTVS EXTERIORES OBEDIENTIÆ:

P

Primus,

Primus, Ad pulsam campanæ & ad Superioris vocem accuratum esse. Secundus, Prompta & deuota executio ordinationum & voluntatis Superiorum. Tertius, Officialibus subordinatis sine replicâ & cum humilitate obedire. Quartus, Æqualibus etiam & inferioribus in quibusdam rebus obedire, ipsorum se iudicio, meo posthabito, & voluntati accommodando.

ACTVS INTERNI OBEDIENTIÆ: Primus, Voluntatem & iudicium meum Superioris iudicio submittere. Secundus, Actu bonam intentionem inter operandum exercere, verbi gratiâ, hoc facio vt obediam. Tertius, Difficiles mihi obediendi occasiones proponere, & ad illas me disponere; idque cum prudentiâ, de quâ suprâ.

Possunt etiam certo numero exerceri actus fidei, spei & charitatis, ad rectificandam intentionem, & similes actus, pro capacitate & dispositione illius qui se exercet.

Cùm tam multiplex sit examinis
part-

particularis materia, sequitur, vt illam eligam quæ mihi maximè conuenit: ad quod me exercitare debeo conformiter quibusdam modis electionis, ponderando rationes sequentes.

Si examen particulare circa aliquem defectum faciendum sit, considerandum est, an grauis ille, aliis offendiculo & scandalo sit; an aliorum defectuum sit radix & causa; an ex vehementi aliquâ passione oriatur, quæ hominem à se abalienet atque abripiat, ita vt hinc maius sit periculum in illos frequentius impingendi; an secundùm statum præsentem negotiorum quæ tractantur, vel personarum cum quibus ea tractantur, sit vicinior occasio in similes defectus relabendi.

Si verò examen faciendum sit circa virtutes, considerandum est, an hæc vel illa virtus meæ vocationi magis conformis sit; an occupationibus & ministeriis, in quibus versor, magis sit accommodata; an occurrat defectibus in quos frequenter labi soleo, & passioni

in quam propensior sum, &c. Omnibus hisce consideratis, virtutem illam aut defectum, in quibus plures ex dictis rationes concurrunt, mihi pro examinis huius particularis materiâ seligam.

MEDITATIO
DE PASSIONE DOMINI.

HOc die fiet Meditatio de duobus illis Punctis circa Saluatoris nostri sacratissimam Passionem, quæ ex superiori Meditatione superfuerint, hoc est de ipsius opprobriis & doloribus. Quemadmodum enim inter alia tormenta, Christum Dominum Salvatorem nostrum spineâ coronâ coronarunt, quod ei & summæ fuit infamiæ summique doloris; ita hæc duo, infamia & dolor, sibi inuicem in hac Regni Christi Coronâ innexa & copulata remanserunt, vt vix scias, vtrum Christo grauius fuerit.

Quoad ignominiam, multum illa creuit. Primò, Ex parte ipsius personæ, quæ

quæ erat verus Deus : quatenus verò homo, eò plus eam sensit quò nobiliori erat animo; maioremque iam inter homines æstimationem & honorem consecutus, maiori ab iis humanitate & reuerentiâ tractatus fuerat. Nihilominus tamen Principes & Magistratus publicos se illi hostes professi sunt, mittentes qui extra urbem armatâ eum manu velut publicum latronem caperent; & vinctum sic, cum clamoribus & summâ vi in ciuitatem pertraherent. Cumque plebs eum sic captum vinctumque, & tantâ ignominiâ affectum vidit, omnes (quod fieri solet) se in opinione, quam de eius sanctitate conceperant, deceptos existimabant; & erroris sui poenitentes, indigneque ferentes, quòd tanto hominem (suâ iam opinione) nequam & impostorem honore reuerentiâque affecissent, errorem illum suum nouis iniuriarum & infamiæ inuentio-nibus corrigere statuerunt. & sic in ipso completum est illud Isaia: *Et cum sceleratis reputatus est.*

Secundò, Creuit hæc ignominia ex parte illorum qui eam intulerunt: quia Legisperiti, Seniores, Pontifices, Sacerdotes, Magistratus & Iudices, doctrinâ & religione maximè illustres, de quibus minor erat suspicio, quasi aut ignari fuissent iustitiæ, aut iniuriâ iniustitiæque se contaminare voluissent; ij, inquam, fuerunt, qui vnanimi consensu, causâ in Concilio suo examinâtâ, turbulentum eum & blasphemum declararunt, & dignum morte iudicarunt: quod ipsum plebs tota instanter petebat, vimque Præfidi faciebat, quò ad illam eum condemnaret. Cuius postmodum sententiæ milites gentiles, plebsque vilis & fæx populi executores fuerunt, violentas in eum manus, linguam, omni reiecto pudore, conicientes. Inter charissimos discipulos vnus eum hostibus vendidit; alius in suâ eum præsentia negauit, indignè quasi ferens, quòd cum eo vel conuersatus fuisset, vel eum nouisset; reliqui verò, eo deserto, omnes fugerunt. Quorum
singula

singula mirum in modum, ex parte eorum qui hanc ei iniuriam fecerunt, dolorem ignominiamque auxerunt.

Tertiò, Augetur ignominia ratione enormium, de quibus eum accusabant, criminum; quæ erant: Quòd esset in Deum blasphemus; quòd saltem se eius Filium diceret, & illi parem. Quòd proditor Regum, eorum sibi titulos & dignitatem vsurparet, prohiberetque eis solui vectigalia & tributa. Quòd impostor & turbulentus, plebem ad seditionem & turbas excitaret, discipulos colligendo, quos nouam & perniciosam doctrinam doceret, per Prouincias & pagos discurrendo, & nusquam in certo domicilio subsistendo. Quòd magus & veneficus, qui falsis & apparentibus miraculis, dæmonum ope factis, plebem attonitam detineret, se offerens ad templi destructionem, asserens certò, se idem intra triuum vi verborum & incantationum absque manibus reædificaturum. Quæ omnia erant grauissima, odio multisque

contradictionibus obnoxia, & in se multa alia concludentia. Quæ omnia postquam feruidè in suo Concilio egissent Legisperiti & Sacerdotes, postea tam Præsidi Pilato quàm Herodi Regi minutatim articulativè declararunt, constantissimè in omnibus eum nihil respondentem coram istis Tribunalibus accusantes.

Quartò, eadem ignominia augetur ratione illorum quæ in illum exercuerunt, utpote quæ plena essent doloris & opprobrij. Primò enim eum nocte, magnâ militum manu stipati, in horto comprehenderunt, vinctum eum per civitatem cum infamiâ raptantes, eiusq; causam violentè perturbateque examinantes: ubi ministrorum Pontificis v-nus, verbis probrosis eum impudentiæ arguens, spectante suo domino & Sacerdotum Concilio, alapam ei in faciem impegit. Illi verò quibus eâ nocte custodiendus committebatur, totam eam in iniuriis ei inferendis consumpsērunt: oculos enim illi velabant, faciem

ciem sputis foedantes , alapas ei infligentes , eumque cædentes , velut falsum mendacemque prophetam ridebant. Eodem item die ad varia eum Tribunalia raptarunt. Herodes eum, quò omnium risui exponeretur, albâ veste tamquam fatuum induit. Pilatus ignominiosè eum veste exuit, quò tamquam publicus latro flagellaretur. Gentilium cohors eum velut fictitium Regem ridendo salutavit adoravitque, fustibus spineam illam coronam eius capiti imprimendo. Nec populus Iudæorum eum Regem admittere voluit, sed publico cum latrone , homicidâ , & seditioso collatum reiicientes, turbulentum illum & seditiosum hominem libertate donarunt, Auctorem verò vitæ vitâ indignum iudicarunt: furorem etiam hunc suum in eius saltem præsentia non cohibentes, eum omnia spectantem audientemque ad crucem magnis vocibus postularunt. Condemnavit eum iudex: & licet ipsum mortis genus ex se valdè fuerit infame, illud

P 5

tamen

tamen ipsi duorum latronum societate magis infame reddiderunt, cogendo infame illud crucis lignum ferre, & tandem, cum summâ ignominiâ, nudum eum coram totâ illâ spectantium multitudine cruci affigendo. Quibus omnibus necdum saturi, agonizantem, & cum mortis angustiis iam quasi luctantem, grauioribus blasphemis-que verbis adorti sunt, grauiissima, ficta & à se inuenta ei crimina exprobrantes. O Deus hominum gloria honorator-que! quis te omni honore & gloriâ dignissimum ita contempsit vilem-que reddidit?

Tandem, quod ad dolores corporis attinet, tanti illi & eo numero fuerunt, vt verè dici potuerit: *A plantâ pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas.* Totus ipse factus fuit vnum vulnus instar leprosi, ita vt ei non remanserit neque color, neque species, neque forma, quâ cognosci posset. Dorsum erat laceratum, totum-que corpus flagellis concisum, humeri crucis
pon-

pondere contusi, pectus diuulsum & extensum in cruce, caput spinis perfossum, & ob durissimam noctem debile vigiliisque confectum, capilli euulsi, mentum barbâ nudatum, facies alapis cæsa, venæ sanguine vacuæ, os siti aridum, lingua oblato felle amara, tibiæ & brachia ita in cruce extensa, vt ossa omnia numerari potuerint: manus pedesque terebrati, & per eadem ipsa vulnera obtusis trabalibusque clavis confixi; quæ eadem ipsâ corporis mole mirum in modum dilatata sunt: & cor tandem afflictissimum, angustiarum dolorumque vi ad portas mortis redactum.

Nec tantum in eo quod passus est, verum ex causis & passionis modo, clarè patuit homine maiorem fuisse eum qui patiebatur.

Causa eius passionis fuit pro Iustitiâ, pro veritate, & ad maiorem Dei sui Patris honorem & gloriam, vt satisfaceret præcepto quod hic ei imposuerat; pro omnium hominum qui uiuunt,

uunt, vixerunt, viuentque publico bono, & æternâ salute, permittendo se spoliari temporalibus omnibus bonis, omniumque mortalium amicitia, fama, honore, salute & vitâ, ne in minimo suę charitatis & obedientię fructu priuaretur; præstantissimo nobis relicto exemplo ad contemnendas res omnes quæ nuncupantur prosperæ, & aggrediendas aduersas, omniumque quæ in mundo sunt horribilissimas, quando id ad maiorem Dei gloriam foret.

Et ille fructus est, quem ex hac Meditatione colligere studebimus, semper oculos in Redemptorem nostrum coniicientes, qui tam pauper, à suis omnibus desertus, hostibus circumdatus, omni quasi honore exutus, in terram prostratus, summis in doloribus & tormentis, numquam vel in minimo animo se deiectum aut victum ostendit, nec vnquam aliquid à suâ Maiestate aut decoro alienum admisit; quin potius brachia animosissimè extendit, diuinam in se latentem virtutem manifestans,

nifestans, & crucis illud pondus (quod solus poterat) fortiter ferens.

OCTAVVS DIES.

De quartâ Septimanâ.

Sicut prima Septimana ad viam purgatiuam, & secunda ad illuminatiuam, sic quarta ad vnitiuam spectat, in quâ sita est perfectio, vti scriptum est: *Mihi autem adherere Deo bonum est.* Psalm. 72. Vnio cum Deo in hac vitâ fit mediantibus tribus animæ potentiis, & bonorum operum exercitio: nimirum, Memoriâ eum nobis præsentem sistendo; Intellectu penetrando eius attributa & perfectiones, & creaturarum eius excellentiam, modumque quo ab ipso procedunt & dependent; Voluntate nos per amorem in eum transformando; & per bona opera eiusque imitationem, & solidarum virtutum exercitium ei nos assimilando. Status hic, sicut inter eos
quos